FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

28

F. E. BRÜCKMANNI, MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA XXVIII. DE LAPIDE HYSTRICINO MALACANO.

AD

VIRUM EXCELL. CLARISSIMUM, EXPERIENTISSIMUM DOMINUM

DOMINUM

PAUL. GOTTL. WERLHOFIUM,

MED. DOCT. MED. AULÆ REG. MAGNÆ BRITAN. ET POLIATRUM HANNOVERAN. CONSULTISSIMUM,

FAUTOREM SEMPER VENERANDUM.

ACCED. VIRI NOBILISS. ATQUE CONSULTISS. MED. DOCT.

R. A. BEHRENS,

MED. AULIC. DUC. BR. ET LUNEBURG. NEC NON PHYSICI ET POLIATRI BRUNSVIC. DOCTISS. &c.

EXPERIMENTA CUM LAPIDE PORCINO INSTITUTA,

SUB FORMA EPISTOLÆ AD AUTOREM.

CUM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENBUTTELÆ. MDCCXXXIIII.

VIR EXCELLENTISSIME CLARISSIME ATQVE DOCTISSIME,
FAVTOR ET AMICE PLVRIMVM COLENDE!

Non in hominibus tantum, Vir Nobiliss. atque Doctissime! sed & in variis brutis, horumque diversis partibus visceribusque calculi generantur. Sic in equis reperitur Hippolithus; in boum familia bilis calculosa; in gallis alectorius; in crocodilorum stomacho lapis Caiman; in capitibus simiarum Pedra Bugia sive Bezoär simiarum; in capricervis Persicis lap. Bez. Orientalis, ex maximorum serpentum capitibus in India Pedra de Cobra petitur; ut plures plurium animalium lapides taceamus; in præsenti epistola pauca saltim adducere placet de *lapide Malacensi*, *Malaccensi* sive *Malacano*, qui in histricibus Regionis Pam in Regno Malacca dicto, in cujus terminis unice inveniri istum quidam tradunt, nascitur. Alias & hoc concretum vocatur *Lapis porcinus exoticus*, *lapis histricinus* vel *histricis nativus verus*, ad differentiam *spurii Ceylanici*, qui *lapis porcinus de Ceylan* audit; *lapis porcinus de Malacca lapis Parcapi* seu *Parcapus*, *lap. bezoardicus porcinus*, *Bezoar porci sive hystricis*, quia virtute bezoardicum lapidem Orienta-

enta-

entalem, ex capricervis Persicis desumtum, superat. Natio Indica, lingua vernacula, appellat *Mastica de Sobo*; Portugallensis, pro vario dialectu, *Pedro de porco*, *Pedra de puerco*, *Piedra del puerco*, *Piedro del porco*, *Pedra vel Pedro de vassar*; Hispanica, *Pedra de porcas*; Italica, *Pedra del porco*; Gallica, *Pierre de porc*, *Pierre de Malacca*, *Bezoar de porc épi des Indes*. Teutonibus audit: Sau-oder Schwein-Stein, lapis bezoar vom Stachel-Schwein, Stein von Malacca, Pourq-Stein, Indianischer Stachel-Sweine bezoär, Igel-Stein, quia histrix ad erinaceorum terrestrium suillorum familiam pertinet; Gifft-Stein, a virtute bezoardica venenis resistendi; Itineraria quædam Indiæ Orientalis provinciarum vocant den Stein von dem Vogel *Taran* und *Seydan*, ex hystricæ quadrupedante faciunt avem, avem certe pulchram, non pennis & mollibus plumis, sed spiculis duris præacutis ornatam?

Hi lapides rarissimi & pretiosissimi magni æstimantur, singuli in Belgio centum, ducentorum, quadringentorum florenorum, imo interdum nummorum uncialium, & plurium quoque, ratione magnitudinis, pretio venduntur, testibus Pometo in Historia specier. & mater. nec non Lemery in Lexico locupletissimo materialium p. 165. D. Garcias ab Horto in aromatum & simplicium aliquot medicamentorum apud Indos nascentium historia, quæ ex Lusitanica lingua a Carolo Clusio latino sermone donata, iconibus ad vivum expressis, locupletioribus annotatiunculis illustrata, Antwerpiæ in 8v. 1579 prodiit, sequentia L. I. c. XLVI. p. 167 memoriæ reliquit: "*lapis Malacensis* tanta est "in æstimatione apud ipsos indigenas ob raritatem, ut e

"duobus, qui ſimul reperti meo tempore fuerunt, al-
"ter pro ingenti munere miſſus ſit ei, qui pro Rege
"Luſitaniæ Indiam gubernat. Et licet iſtic frequens la-
"pis Bezar inveniatur, hunc tamen longe præferunt in-
"colæ Unum dumtaxat vidiſſe memini, cujus color di-
"lutioris videbatur purpuræ, guſtu amaro, tangenti
"lævis & lubricus, quemadmodum Gallicus ſapo." Indi hos lapides ſumma cura & ſtudio quærunt, multumque anteponunt lapidibus bezoardicis Orientalibus, quibus virtute & efficacia longe præferuntur. *Imperatrix Eliſabetha Caroli VI. Imperatoris* ſemper augusti, clavum Imperii Romano - Germanici nunc glorioſe tenentis, conjunx, parvum quendam *lapidem biſtricinum*, ex rubicundo colore pallidum, 450. floren. Holland. emtum, auro incluſum: catenulaque ex eodem obryzo rutilo confecta ſuſpenſum, nunquam non ſecum portat.

Belgae hunc lapidem quidem novum inventum eſſe perhibent, ſed interim Roder. a Fonſeca, Olyſſipponenſis Luſitanus, ſub exordium præteriti ſeculi, in Conſultation. ejus jam fecit mentionem & Joh. Wittichius, qui An. 1589. tractatum quendam von wunderhafften bezoardiſchen Steinen Lipſiæ edidit, l. c. pag. 22. deſcriptionem iſtius attulit; it. ſupra jam laudatus D. Garcias ab Horto ante annum 1579. delineationem quandam iſtius quoque jam communicavit. Verum enim vero, licet non ſit novum inventum, ante paucos tamen annos primum a Luſitanis ex India Or. Ulyſſeam & Amſtelodamum transportatus, ex hiſce demum toto orbe celebratiſſimis emporiis poſtea cum aliis Europæ provinciis & urbibus communicatus fuit.

Diffe-

Differunt hi lapides a concretionibus substantiæ terreæ ex hepate & aliis visceribus, inpr. vesica fellea porcorum domesticorum & aprorum in Europa extractis. Vulgus vocat Gallen-Steine von zahmen Schweinen, Europäische Schweine-Steine. Memoriam incurrit, quod ante 25. annos, numero præterpropter 50. porci, in Præfectura Cœnobii Vallis D. Mariæ, Ducatus Brunsvigii, cultro mactarentur, qui omnes & singuli calculis luteis & obscure viridibus, color erat a bile, quorum quidam ad ovi gallinæ magnitudinem accedebant, in vesicula bilis laborabant. An causa concretionis horum lapidum in porcis, ut nobis verisimile videtur, conjicienda sit partim in opimam & crassam glandium saginationem, partim in pluviæ & aquarum, tempore farcturæ, cum pluvia tempore saginæ autumnalis summe sit necessaria, nec sine hac porcorum familiæ conducat, defectum? inquirere & examinare non est hujus loci. *Lapides porci* specifice, ob amaritiem biliosam, nam scatent & repleti sunt resina balsamica biliosa amara, commendatur in ictero & vesicæ calculo. Confer. D. Sachs a Lewenheimb in Gammarologia p. 295. Encelius L. III. de lapid. c. 27. & 50. Unzerus de Nephrit. p. 224. An hi calculi ex vesica bilis porcorum Europæorum domesticorum & aprorum desumti, iisdem cum *Pedra del porco* viribus & virtutibus medicis polleant? res est nondum investigata, nec satis cognita.

2. Distant porro ab *osse ex organo auditus porci*, quod improprie *lapis porcinus* dicitur. Est potius naturale, mite & album ossiculum, capitellum mortuum, Totten-Köpffel, quæ denominatio vulgo usitatissima, aliquatenus repræsentans, in porcellis, hinc sensu pro-

prio & accurato ad lapides non pertinens, obvium. Reperitur duplex in capitibus porcorum ad bina cranii latera, ſub cerebro, non in cerebro ipſo, ut quidam de lapide Manati (qui cum lapide piſcis Tuberonis, in ſua natura & animalculo ſui generis, idem eſt, quod dictum os ex organo auditus in porco) putaverunt, cum ibi loci in cerebro, vaſa & nervos comprimeret & moleſtaret, ſenſus turbaret, imo vitam ipſam truncaret. Wormius in Muſeo p. m. 58. cum Oviedo credit eſſe ſupremam oſſis organi auditus & meatus auditorii partem, vel potius os ad auditum ſpectans, anatomicis cochlea dictum. Sunt, qui putant, hoc os, quoniam cerebro tectum, ſale volatili peculiari impraegnatum, ab humido cerebrino emollitum, & a natura quaſi philoſophice calcinatum eſſe, hinc ſpecifice curare epilepſiam. Sed abſurdum vaniloquium eſt. In hoc oſſe non plus ſalis volatilis, quam in reliquis, quaerendum. Nec ſal volatile hujus oſſis ex cerebro deducendum. Ex quo fonte tarſi, metatarſi oſſa, vertebrae & reliquum porci ſceleton ſuum ſal volatile acceperunt, in eodem os organi auditus & ſuum invenit. Quot vires hoc os in epilepſia exſerit, tot virtutes quoque reliqua porcorum oſſa praeſtant, nec hoc, prae reliquis porcini ſceleti oſſibus, quid peculiare habet.

3. *A ſaxo ſuillo Norvegico*, ob odorem foetidum, dum porcum immundum olet, Schwein-Stein, dicto, quod non eſt hujus loci, nec ad Regnum animale pertinet; eſt lapis mineralis & ſpecies marmoris. In Norvegia integri ſcopuli magnaeque rupes hujus ſaxi proſtant; equi has pertranſeuntes ſoleis ferreis, harumque adfrictu, tam putidum porcinum excitant foetorem, ut equites

equites cum ore & nares obturare cognantur. Lapis hic pulverisatus variis porcorum morbis medetur.

Quod nunc ad *Pedra del porco* attinet, magnitudo ejus a D. Mich. Bernh. Valentini in Diss. de *lapide porcino*, quæ in ejusd. Exoticis polychrest. p. 30. exstat; it. in Ejusd. Mus. Museor. Part. I. p. 455. it. Histor. simplicium reformata p. 318. cum fig. circumscribitur quantitate ferme nucis avellanæ; sed hæc variat, nec semper eadem est, cum & noster lapis multo major sit. confer. fig. I. Forma externa quoque variat, juxta ac color, qui tamen utpl. fulvus & hepaticus, it. ex albo-viridis, interdum rubicundus, nitens purpureus, qualem Sachsius describit. Garcias ab Horto coloris dilutioris purpuræ, hell purpurfarbig / quendam vidit. Convenit cum his & iste lapis, quod ad colorem, quem supra in manibus Imperatricis esse indicavimus. Interdum colore clare-fusco & subnigro, Lichtbraunroth / interdum & alio conspicuus est. Quod ad faciem externam, lævis & pinguis est, lubricus & mollis, quemadmodum Venetus, Gallicus aut Hispanicus sapo; hinc inde cavernulis & cicatricibus, variolarum foveolas imitantibus, conspersus; totus constat ex subtilibus tunicis, crustis & squammis ad invicem, ut in vero lapide Bez. Or. superinstructis, lamella nempe una ad aliam semper quasi agglutinata & accreta, sed magis porosus est. Ante primum usum tunica mollis & subtilis totum firmiter investit lapidem, quæ vero, maceratione accedente, statim solvitur & a lapide discedit. Videtur esse bilis nondum plenarie petrifacta. Sapor lapidis amarus est. In ore detentus, eximiam linguæ communicat amaritiem. Aquam, qua unius vel alterius horæ spatio

Fig. II.

Fig. I.

mace-

maceratus, extreme amaram reddit; sed amaror, longe abest, non est tantus, quantus a quibusdam perhibetur, quod amaritas lapidis manu detenti, per manum penetrare, & in aversa ejusdem parte percipi & gustari possit. Usus infusionis repetitus omnem ex lapide, cum balsamo resinoso, extrahit amarorem, ita ut ad ultimum aqua vel vinum non amplius reddatur amarum; repetitæ enim infusiones virtutes lapidis consumunt, & partibus gummiresinosis gravioribus & viribus medicinalibus istum exspoliant, lapidemque, antea gravem & pro mole corpusculi ponderosum, levem reddunt *Pedra del porco*, quem in museo nostro asservamus; rotundus ferme est, in utroque latere parum compressus, Fig. I. videndus; magnitudine aliquantulum nucem superat avellanam; coloris ex albo cinerei, tangenti digito pinguis & lævis; porosus, foveolisque variolarum repletus; non admodum amarus. Forsitan, plus vice simplici cum isto instituta experimenta & extractiones jam majorem resinæ balsamicæ partem, qua alias pori repleti & farti fuere, eduxere? pondus est Drachma j cum viginti quinque granis. D. Joh. Seb. Albrecht, Coburgi, quendam duorum scrupulorum pondere possidet, qui autor non tantum exactam lapidis descriptionem exhibuit, sed & naturam & antipathiam lapidum Ind. serpentis & hystricis legendam proposuit in Actis Acad. Nat. Cur. Vol. III. Obs. LXXXVII. p. 288.

Fig. I.

Pedra del porco est nihil aliud, quam coagulum bilis durum & petrifactum, quod ordinarie reperitur in parva & plana histricum, der wilden Stachel-Sauen/ vesicula fellea, raro & extraordinarie in ventriculo,

culo,

culo, in Provincia Pam Regni Mallaccensis & quibusdam aliis Indiæ Or. regionibus. D. Engelb. Kämpfferus in Amœn. exot. Persicis Fasc. II. p. 393 sequentia, hunc lapidem concernentia, memoriæ reliquit: *Pe-* "*dra de porco*, coagulum est biliosum, rotundum, "Masang de vacca magis compactum, utpl. nucis my- "risticæ vel juglandis magnitudine, leve, coloris rufi, "substantiæ quodammodo unguinosæ, saporis subtilis- "sima amarescentis. Reperitur in vesicula biliaria hy- "stricum, terræ Malaicæ; Tales a Sylvatico *Masatios*, "ab aliis *Acherones* vocari testatur Aldrovandus. Hoc "coagulum bovino longe sui pretio ac virtutibus an- "tecellit, prout bezoar Orientalis Occidentali dicto, "vel aurum cupro præstat. Rarius enim generari ac- "cidit; quod ipsum inpr. præter eximias & præsentis- "simas facultates, pretium ejus extollit, ut in ditio- "rum duntaxat & principum Nigritarum manibus "versetur, qui illud sphæris aureis argenteisve arma- "ri curant, adnexa ex eodem metallo catenula. cujus "adminiculo tractari valeat. Usus ejus est, ut suspen- "datur per horas aliquot, vel una alterave vice agi- "tetur in haustu aquæ communis; quem, vix grani "pondere imminutus, amarore imbuit. Haustus, ita "præparatus, habetur summe cordialis & alexiphar- "macus, tum in ictore febribus putridis malignisque, "& in quibuscunque viscerum obstructionibus medi- "camentum efficacissimum. Novi Bataviæ, qui post- "habitis medicis, quicquid sibi ægritudinis accidebat, "hoc solo eliminare remedio satagebant. Hystricem "hanc, utut in multis aliis Asiæ regionibus, in Afri-

Pedra de porco vera.

Fig. II.

"ca etiam, & in his Caucasiis montibus invenerim, in "ipsa tamen reperiri lapidem nunquam cognovi. Ru-"sticus Buguno a me venatum dimissus, cum ab hy-"strice sura vulneratus rediret, pinnum, quem in ipsum 'bestia exploserat, mihi offerens, a præsente quidem "patre edentulo ac grandævo monebatur: nullam im-"posterum negligeret hystricem, quin sectione prius "exploravit, an lapidem ferret; quem nosset aliquan-"do hic inventum fuisse incredibilis pretii. Sed quis "audeat ex unius viri asserto verum concludere? Ad-
Fig. II. "jecta figura exhibet *lapidem Malacensem*, qui, cin-"ctu liberatus, pendet aureos quinque cum dimidio; "emptus a possessore, Ill. Dn. Generali de Camphuys, "trecentis Joachimicis."

Hystrices sunt animalia quadrupeda, toto corpore spinis acutis, uti in Europa erinacei suilli, ex quorum genere quoque sunt, sed longioribus, albis nigrisque eleganter & varie pictis, contecta, qui aculei, cum animal quietum, compresse ad corpus adjacent, ira autem accensum & graviter commotum, vel urgentibus hominibus canibusque exagitatum, eriguntur &, cum besticola cutem intendit, missiles fiunt, inque insectores & hostes persequentes retro jaculantur. Hoc modo, hisce spiculis animal ex instinctu naturali se defendere, & inimicum suum, ad tres quatuorve passus propius accedentem deterrere, depellere & violare quærit. Læsiones certe non evitantur, sunt enim aculei ab initio, subularum instar, præacuti, hinc alte satis in carnem penetrant, dolorem excitant fervidum & vehementem, facileque affectæ parti inflammationem gangrænosam important. Magnis & admodum

duris

duris hæc animalcula gaudent ſpinis in dorſo & lateribus, reliquis in cervice, capite & in lateribus maxillarum ſolum longis, teneris & flexilibus exiſtentibus. In extremitate coccygis duodecim numero erectos habent aculeos, calami ſcriptorii craſſitie, validiſſimos, ſed breviores, quos beſtiolæ facile ex cute emittere poſſunt, cum non ita firmiter, ut reliqui, infixi ſint. Unde & animalcula hæcce eos adverſus venatores, mediante cutis ſuæ, panniculi carnoſi rectius, in brutis tantum obvii, concuſſione ejaculari ſolent, qualem cutis concusſionem in carnibus, ex aquis exeuntibus, obſervamus. Eleganter Claudianus dicit: Hyſtricem ſimimetipſi eſſe arcum, pharetram atque ſagittam, quibus adverſus venatores utatur. Aculei uſum ſimilem cum calamis ſcriptoriis anſerinis habent. Confer. Chriſtoph. Langhanſs neue Oſt-Indiſche Reiſe p. 128. *Hyſtrix* Latinis & Græcis vocatur ab ὗς, ſus, quia beſtiola hæc porcis quadantenus accedit. Vocabulum Græcum ὕστριξ notat ſetam ſuariam, & animal hinc dictum, quoniam, apri inſtar, ſetis duris tectum. Aliis audit *Porcupinus*, *Porcus ſpicatus*. Plautus in Pænulo *Mures Africanos*:

> Non audis? *mures Africanos* prædicat,
> In pompam ludis dare ſe velle ædilibus.

Sed a muribus plane diſtant. Germani Eiſer-Ferckel, Stachel- oder Dorn-Schweine, Stachel-Sau; & Galli *Porc-épi* vocant Hæc *porcorum ſpicatorum* familia in omnibus iſtis quatuor mundi regionibus obvia eſt, in Aſia, Africa, in qua copioſe & gregatim offenditur, & America. Indiæ Occidentalis hyſtrices non unius ejusdemque ſunt generis, in quibusdam enim aculei firmiter corio infixi hærent, in quibusdam vero a natura ſoluti, mobiles,

non aliter ac sagittarum classis in pharetra, & missiles in infestatores, hinc haud raro feræ, aculeis hystricum exanimatæ, in sylvis & campis repertæ. Hæ spinæ, ex porcorum cute emissæ, alte & firmiter vulneribus infixæ hærent, nec facile eruendæ, his confossi plerumque vita privantur. Quatuor a Castello in Promontorio Cap. bonæ spei quod hystrices quoque generat, sito, milliaribus, Belgæ aliquando leonem mortuum, quatuor spinis hystricinis sauciatum offenderunt; sine dubio porcus contra leonem pugnax aculeis suis istum necaverat? Speciatim India, Æthiopia, Arabia hisce porcis abundant, suntque in prædictis terris inquilini; in Europa, & speciatim Gallia, Italia &c. sunt tantum ex modo nominatis regionibus advenæ. Ante viginti & plures annos Berolini in theriotropheo regio hystrices, genus suum ibi propagantes vidimus. Fructus agrestini & hortenses in cibum & alimentum his cedunt; comedunt uvas, poma, pyra, radices & panem; aquam bibunt, sed vino mixtam in amore atque deliciis habent victum plus nocte, quam luce meridiano quærunt; hibernis mensibus, quæ natura multis & ante omnia ursis, se condunt. Caro horum porcorum, quæ multo sale volatili & oleo pollet, ut sapidissima, a quibusdam laudatur. Hepar & caro alvum deobstruit, urinamque promovet. Sebum nervos roborat & ad hernias commendatur vid. plura de his animalculis apud Lemery in Lex. mat. p. 561. M. Pet. Kolben in Cap. Bon. spei hodierno p. 166. c. fig. Franzium in Hist. animal. p. 298. seq. Cyprianum in Continuat. Hist. animal. Franzii p. 316. 572. Gesnerum Hist. animal. L. I. de Quadruped. p. 631. &c. Forerum im teutschen Thier-Buch. p. 34.

dé

dé la Hontan in den neuesten Reisen nach Nord-Indien p. 110 &c. Anatomiam autem istorum, nec non differentiam ab Erinaceo Europaeo vid. apud Mich. Bernh. Valentini in Amphitheatro Zootomico p. 177. &c. cum fig.

Ex horum porcorum, licet raro, capitibus, ventriculis, inpr. autem fellis vesicula *Bezoär porcinum* exscinditur, hinc amarities istius, quae a nonnullis tanta perhibetur, quod per dorsum manus, quando in vola manus lapis aliquamdiu detineretur, percipi & gustari possit sed hunc mirabilem penetrantemque amarorem nec sensibus haurimus nec in nostro lapide offendimus, valde quoque dubitamus, alios istum revera in hoc percepisse saporem In perpaucis saltim porcis reperitur, & tantum, ut quidam perhiuent, in morbidis. Forsan hic calculus causa morborum in hystricibus? & eas infirmas aegrotasque reddit? Sunt adhuc, qui dicunt, lapidem histricinum tantum conspicari in porcis animosis, qui multum scanderent & herba Moringa vescerentur. Has ob causas raro plures, quam bini vel terni venales, cum mercibus ex Indiis Lisbonnam & Amstelodamum navibus apportarentur, quorum unusquisque 135. usque 275 floren. Belgic. venderetur, quem deinde aromatopolae 400 usque 600, & adhuc pluribus, florenis aestimarent; lapis olivae mediocris magnitudine minimum centum thaleris constaret. Batavi in magno honore & pretio istum habent, foenerantque sibi, quando istum mutuum ad usum dant, pro spatio XXIV horarum, solidum obryzatum, vulgo Ducatum dictum.

Pometus l. c in append. p. 2. & cum hoc quidam alii aromatarii differentia *lapidem* inter *Malaccensem* & *Pedra del porco* adducunt, affirmantes, istum in histricibus, hunc in variis porcis Indicis reperiri. Gesnerus

nerus in Zoolog. L. I. p. 633. occasionem, quæ ad hanc haud fundatam capiendam conjecturam autores seduxerit, monstravit. Interim tamen firmiter persuasi sumus, sæpissime calculos biliarios porcorum Indicorum, imo & Europæorum, pro genuinis lapidibus hystricum Malaccensium vendi solere. Cavendum autem, ne verus *Mastica de Sobo* confundatur cum spurio ejusdem nominis, vulgo *Pedro de porca spuria ex Ceylan*, qui lapis rotundus est, niger, ponderosus, nihil vel parum amarus. Kämpfferus l. c. p. 395. sequentia de hoc notavit: "*Pedra de porco spuria.* In hoc genus coagu-"li in Ceylana incidi, priori genuino lapidi hystricum "quodammodo simile, sed nigrius, informe & pilis per-"mixtum; de quo easdem prædicabant virtutes, sed de-"biliores, tametsi majori dosi propinetur. Dicebatur "inveniri in hystricum suæ terræ ventriculis; prodere-"que bestiam crebro ructu ac vomitione latitantem la-"pidem. Ex quo conjecturare liceat: expressam bilem, "dum in ventriculum redit, a lana illic hospitante & vo-"mitum concitante imbibi, & cum ea concrescere. Ico-"nes quorundam vide in Tabellæ fig. III. IV. V. *Fig. III. IV. V.* Cum quoque his nostris temporibus quilibet aurum & argentum inhiet, res ferme omnes pretiosæ naturales adulterantur, & arte ac imitatione exprimuntur. Cavendum hinc sibi a *lapide Malaccensi artefacto*, ne talis falsarius pro genuino, vero & nativo ematur. De *lapide porcino factitio*, oder nachgemachten Stachel-Schweins Stein vid. Breßlauer K. und N. Gesch. XIX. Versuch p. 59.

Lapides vesicæ felleæ humanæ, uti notum, in aqua non subsident, sed tantum in spiritu vini, liquescunt, flammam concipiunt, & plane ab igne, multo cum fumo

fumo & fœtore nauſifico, conſumuntur. *Lapis* noſter *Malaccenſis* in aqua & ſpiritu vini fundum petit; an totus conflagratione ſit interiturus? eſt experimentum, cum lapis ſit carus & rarus, a nobis non inſtituendum, libenter potius aliis relinquendum.

Nativus & genuinus utpl. in infuſione adhibetur, affunditur lapidi vinum, cereviſia, aqua cordialis, C. B. & alia deſtillata, vel quoque ſimplex vulgaris; ſtat per aliquot temporis momenta, quo vires balſamicæ amaræ, quibus pori calculi repleti exiſtunt, extractæ, cum affuſo liquore ſe commiſcere poſſint, quæ tunc 20, 24. temporis momentorum, vel horulæ ſpatio, infuſum amarore non ingrato, ſed non tanto, qui vulgo dicitur, inficiunt. Interim infuſum, quo amarius, eo etiam potentius. Pro doſi tria, quatuorve cochlearia iſtius bibuntur.

Fig. II.

Horum lapidum poſſeſſores, iſtos catenulis ex auro conflatis, ad commodiorem uſum, quando pro extractione in liquorem infundunt, ſuſpendunt, inque capſulis aurariis includunt.

Nulla non infuſio lapidi pondere dimidium vel integrum granum detrahit, aqua enim vel vinum adfuſum, aliquot temporis minutis, tantum balſami bilioſi reſinoſi ex iſto extrahit. Doſis iſtius in pulvere a granis ij. ad octo usque aſcendit; vehiculum eſt vinum aqua dilutum. Sed eſt medicamentum magni pretii, quoniam ægrotus facile lapidem, duorum ſcrupulorum ponde-

pondere, 500. argenteis æstimatum, brevi tempore comedere potest. Manebit sic tantum Regum, Principum & magnatum medicina. Amuleti loco & a quibusdam portatur. Indi dicuntur tantam in eo positam habere fiduciam ut statim certam convalescentiæ spem, quando saltim istum attingendi occasionem habeant, concipiant.

Vires habet alexiterio-bezoärdicas, sudoriferas, quas radici cuidam bezoärdicæ, qua hystrices perdite delectantur, *Moringa Malabarica* (seu *de Maranga* & cortex illius arboris inservit alias ad curanda omnia vulnera penetrantia sive ab armis acutis aut globulis emissis. vid plura in Amanni manud. ad mat. med. p. 56. it in Semmedi Hist. exoticor. pag. 65.) dictæ originem suam debere perhibent. Insensibilem auget transpirationem, hacque mediante omnes corpori molestos, noxios malignosque eliminat humores; omnibus resistit venenis. Virtutes diaphoreticas, bezoardicas, antitoxicas primum Dimas Bosque Valentinus in India detexit. Conf Boët. a Boot in Hist gemmar. & lapid. L. 2 c CLXXX. p 354. Edit. Lugdun. Accolæ Gangis, instar optimi medicamenti contra venena præservativi, istum in usum trahunt. Lusitani viribus lapidem bezoardicum Orientalem longe superare dicunt. Andersonius nec non Iversen in Regionum Orientalium itinerariis virtutem lapidis porcini in morbis venenatis malignis multum præferunt laudatissimo dicto bezoardico. Virtus cordialis roborans quoque in isto laudibus effertur. Menses mulierum obstructos fortiter

fortiter referat. Prægnantibus non bene datur, nam abortum provocat, hinc mulieribus Malacanis, nec digitis iſtum tangere, prohibitum. Partum difficilem promovet. vid. Frid. Hoffmannus in Clave pharmaceut. Schrœder. pag. 687. Paſſionem hyſtericam aliosque uteri cruciatus ſolatur. Porro uſurpatur in colica, bile extravaſata, cholera, quo caſu cum vino infunditur, morbo Indorum Mordechi, Mordexin vel Mordoxi, qui ſpecies peſtis, cum variis peſtiferis ſymptomatibus ſtipetur, apud iſtos reputatur, dicto, ad quem pellendum hunc lapidem, ut præſtantiſſimum remedium, multoties adhibent. De hoc ingrato & Orientalibus proprio, Europæis plane ignoto, hoſte, vid. Garcias ab Horto l. c. pag. 167. it. Dellon, Med. Doct. Gallic. qui in India perdiu verſatus, in Itinerario Indiæ Orientalis novo pag. 460. &c. Humores crudos ſuperfluos in toto corpore, nimiamque inde & p. n. pinguedinem, conſumit. Præſervat ab epilepſia, apoplexia, motibus convulſivis, ſingultibus, vid. Jac. Bontius de Med. Ind. L. I. Curat icterum ex obſtructione ductus choledochi a calculis biliariis ortum. Forſan lapillus ex veſicula fellea deſumtus, alium bili inhærentem, non aliter deterit & pellit, ac calculus renum & veſicæ urinariæ, ex his extractus, alios adhuc inhærentes, frangere & comminuere perhibetur? vid. D Albrechti Diſſ. de Ictero ex calc. Porro arthritidem, renum & veſicæ calculum, cujus materiam ex qua ſine dolore diſſolvit, ſanat. In ſpecie autem ſummopere laudatur ad omnis generis febres pellendas curandasque, ſint benignæ, vel malignæ, ſint

frigidæ vel ardentes, ſint catarrhales, in quibus cum aqua C. B. egregiam affert medelam, ſint petechiales; & noſter *lapis Malaccenſis* inter plures Vratislaviæ cum eo factas probas, Dom. Sanftlebii, Secretarii ejusdem loci doctiſſimi, coſtam cariſſimam, morbo petechiali maligno ardente decumbentem, in agone mortis conſtitutam, imo ſemimortuam, quod cuivis medico admirationem ſummam ibidem injecit, reſuſcitavit, vivamque ſervavit. Quod ſimul experimentum, felici hora inſtitutum, noſtrum lapidem genuinum eſſe confirmavit. vid. Deckeri Exercit. pract. pag. 262. D. Raygerus in Miſcell. Acad. N. C. Dec. I. Anno III. Obſ. 283. Egregium quoque ſpecificum in variolis infantum, teſte Tulpio obſ. med. L. IV. obſ. 51. pag. 363. conſtituit. Tonum confortat ventriculi; lumbricos, ob amaritiem, necat & pellit; calidum nativum conſervat; viſcera balſamo reſinoſo roborat; imo ſecure in omnibus morbis acutis datur. Remedium anthydropicum eſſe, recentiorum eſt experimentum, in Commercio litt. Norico Anno 1732. ſemeſt. II. pag. 230. legendum. Reliquum coagulum hoc lapideum, reſina bilioſa amara balſamica ſalina volatili, quod ad poros lapidis, repletum, eodem modo & idem, ſed eminentiori & præſtantiori gradu, operatur, quod bilis hyſtricum in ſubſtantia exhibita. Celeberrimus Batavorum Lewenhœckius, in arcanis naturæ detectis pag. 115. multum in iſto ſalis volatilis, oculo armato, ſe obſervaſſe prædicavit. De Viribus, efficacia & uſu vide plura in den Breſlauer K. und N. Geſch. XIX. Verſuch. pag. 61. it. XXIV. Verſuch p. 627. it. in Actis Physico-

Phyſico-med. Acad. N. C. Vol. I in App. pag. 119. in Aldrovandi Muſ. metall. L. IV, pag. 798. Fragoſ. medic. Indor. c. 10. pag. 14. ex Linſchotani navigat. c. 87. Salmuth. in Panciroll. T. 2. 2. c. 3 pag. 274. it. im IVten Theil der Orientalischen Indien pag. 89. Ammanni manuduct. ad mat med. pag. 182. Hübners Nat. Lex. pag. 1361. 1768. Kundmanni Promptuar. rerum nat. p. 122. Barthol Krügeri Hiſt. Curioſ. de genealogia calculorum macrocoſmi & microcoſmi. pag. 67. Semmedi Hiſt. varior. ſimpl. exoticor. pag. 12. &c. Et hæc ſunt principaliora de *lapide Malacenſi*. Vale hisce, Vir Incomparabilis atque Excellentiſſime, & me redamare perge ſemper tuum. Dabam Wolffenb. d. 24. Jan. 1734.

Sequuntur Experimenta D. Doct. Behrens:

VIR PRÆNOBILISSIME, EXPERIENTISSIME ATQVE DOCTISSIME,

COLLEGA, FAVTOR ET AMICE PLVRIMVM HONORANDE,

JUcundum mihi admodum fuit ex ex NOVELLIS LITERARIIS HAMBVRGENSIBVS perſpicere, Te in deſcribenda hiſtoria naturali *lapidis hyſtricis Malaccenſis*, & *lapidis ſerpentini*, quem *pedra de los cobras de capello* vocant, nunc operam Tuam ponere, quæ profecto neque ſua jucunditate, neque eximio fructu carere poterit. Mihi, ut ingenue fatear, duplici nomine maxime collaudandus hic Tuus labor ſalivam movit. Primum quoniam volupe admodum erit videre uno obtutu quicquid a doctiſſimis viris hinc & inde de poſtremo lapidum genere ſcriptum & commentatum extat, dum ego nonnullis ſcriptoribus, qui de eo uberrimam fecerunt mentionem, careo &, quod maximum eſt, nunquam talem oculis conſpicere potui. Deinde quia egometipſe in COLLECTANEIS PHYSICO MEDICIS WRATISLAVIENSIBVS de lapide quodam porcino factitio, genuini iſtius imitamento, & novo uti ferebatur ſuccedaneo remedio atque experimentis cum iſtius infuſo inſtitutis, aliquid in medium protuli, qua quoque

quoque occaſione magni cujusdam Medici JVSTI SCHRADERI de lapidis genuini recto uſu ſententiam publici juris feci, imo vero poſt annuum intervallum etiam tradidi ſucceſſum iſtius curæ, quæ in febrium catarrhalium quadam epidemia, cum infuſo veri lapidis, Perſonæ cuidam maximi nominis nunc inter cœlites degenti, proſpere tunc adhibita fuit. Non inacceptum ſibi hoc fuiſſe doctiſſimus quondam utiliſſimi iſtius operis Collector beatus KANOLDVS, plus ſimplici vice mihi tunc temporis per literas ſignificavit. Eo igitur meriſſimi Viri calculo, imo quoque celeberrimi VALENTINI exemplo audentior quaſi redditus, quicquid experimentorum cum infuſo lapidis porcini, vel ab aliis, vel a beato meo Parente, vel quoque ſic ferente occaſione, & favente ſumma clementia Sereniſſimi ac Celſiſſimi quondam noſtri Ducis AVGVSTI GVILIELMI â memetipſo inſtitutorum ſupereſt, in ſinum Tuum hac ſcriptiuncula effundere conſtitui. Non vero diffiteor me cum hac Te non poſtulante aut interrogato ſuſcipiam, de immiſſa in alienam meſſem temeraria falce quaſi reum fieri. Sed dabit, ut ſpero, una cum Tua erga me benevolentia hæc conſideratio me Tibi excuſatum, quod non omnibus liceat hanc adire Corinthum, id eſt, ob ſummum fellei iſtius concrementi pretium, vires ejus quod inde proficiſcitur medicaminis ſæpius pertentare, & tamen non alia via, quam experimentorum multitudine & accumulatione de præpollentia ipſius præ aliis remediis poſſimus eſſe certiores. Accipe igitur quod primum a beato meo Parente traditum & in ſchedis ipſius notatum habeo, &

quod supplementi quoque loco ad olim exhibitam methodum esse poterit, nempe quod ante hos triginta & quod excurrit annos Medicus quidam alibi vivens, summæ in arte nostra peritiæ, neque minoris auctoritatis, Personæ sequioris sexus, in diathesi sanguinis lenta scorbutica cachexiam minitante hoc dederit consilio; ut pillulis tartareis QVERCETANI purgato ante omnia corpore, per tres septimanas continuas, omni mane infusionis lapidis Malaccensis, cum aqua à petroselino abstractitia paratæ, uncias duas, & vesperi salis Aquisgranensis grana quindecim assumeret; omni quinto die omnem hanc medicationem intermittendo, & in fine pillulas ab initio assumptas rursus repetendo. Ut verum fatear equidem nescio utrum hoc prudentissimum consilium fuerit tunc temporis re ipsa effectui datum, nec ne, unde etiam de ipsius curæ specialiori successu curatius referre haud potero. Hoc perspicio ex literis magni alterius Medici, quod initium fuerit à beato meo Parente eapropter consilium, ut hoc quod pro ea medicatione ex usu esset infusum afferreretur è pharmacopolio Cellensi, in quo ejus generis lapis asservatur, & infusiones ejus dimidii floreni pretio redimendæ, venum forte & nunc prostant. Et præterea certissimus sum, talem curam, si quis velit illam imitari, prospero successu carere quasi minime posse, cum si manifestas hujus lapidis qualitates saltem spectes, in propatulo satis sit quod is rebus talibus agendis appropriatissimam medicinam præbeat Sed ut ad eos casus, ubi re ipsa infusum lapidis ejus adhibitum fuit, nunc deveniam, sane idem beatus meus Pater quoque notavit, quod posthæc Matrona quædam honesta, viri spectabilis uxor, febre

ſebre acuta exanthematica graviter decumbens, idem medicamen Hildeſia, ſi recte memini, transmiſſum ſummo cum fructu aſſumſerit, & ſolet vere maritus, quoties de illo uxoris morbo in hunc usque diem loquitur toties reſtitutam tunc temporis valetudinem viribus hujus infuſi tantum non unice adſcribere. Non eadem vero felicitate uſus poſtmodum eſt beatus meus deſideratiſſimus Parens in altero caſu, quem nunc dicturus ſum. Corripiebatur puella decem circiter annorum, parentibus ſuis ob eximias animi corporisque dotes apprime chara, variolis maligníoribus, ſuæ familiæ tam ſingulari fato quam etiam hæreditario quaſi jure ſelennioribus, & frequentiſſime funeſtis. Cum vero, uti fieri ſolet, in iſtis caſibus, variolæ non rite incrementa caperent, verum potius naturæ vires morbi malignitate & magnitudine, oppreſſæ, fatiſcere inciperent, tunc reliquis medicaminibus nihil proficientibus, optimus Parens meus ad tale lapidis porcini infuſum, tanquam ad ſacram quandam anchoram, confugere, & in eo ultimum auxilium quærere conſultum quoque ducebat. Licet autem Eccellentiſſimus & Strenuiſſimus Dominus JOHANNES DE BERNSTORFF, copiarum Brunſuicenſium Locumtenens quondam Generalis &c. pro adornanda infuſione lapidis porcini, quem poſſidebat, copiam uberrime faceret; neque deeſſet omnis ſollicita in eo exhibendo cura tamen votis & opinioni non reſpondit eventus, neque deſideratiſſima parentibus ſuis puella mortis faucibus, hac etiam via. eripi potuit. Rurſus tamen alio tempore, anno ſcilicet MDCCXXVII. cum febres catarrhales malignæ urbem ſparſim pervaderent,

derent, eandem infusionem lapidis hujus exhibuisse, paulo magis mihi profuit. Experiebatur in ipsa aula Serenissimi & piissimæ memoriæ colendissimi Ducis AVGVSTI GVILIELMI, similem morbum cum raptu humorum ad pectus, & purpura rubra succedente, matrona quædam septuagenaria, calculosa & viribus admodum fracta. Jam cum aliis medicaminibus, juxta cautioris artis regulas tum delectis, tum usurpatis, dies fere consumpti erant sex, septimoque appropinquante pessimam morbus faciem induebat, pulsu etiam arteriarum a naturali ordine ita discedente, ut mortem forsitan esse in propinquo non possem non judicare, & istius quoque summum periculum indicare. Hoc cum ad aures Serenissimi Ducis pervenisset, prout erat mitissimo & ad misericordiam sponte proclivi ingenio; Ille statim me advocari, infusum lapidis porcini, quem in prætiosissimæ suæ suppellectilis thesauro servabat, cum aqua cardui benedicti parari, & mihi, ut hoc bonæ matronæ, in illo discrimine constitutæ, porrigerem in manus tradi clementissime jussit. Commodum igitur hoc septimo morbi diluculo exhibebatur, & quidem eo prospero eventu, ut versus meridiem blandus & vix speratus mador per cutis spiracula erumperet, expectoratio fieret facilior, & pulsus pedetentim ordinem suum repetere inciperet. Versus noctem nihilominus febrilis calor novam faciebat accessionem, tam fortem & vehementem, ut tota nox una cum octava luce in eodem quam antea pessimo statu transigeretur, imo vero febris quoque sub vesperam rursus exacerbaretur. Rerum interim hoc statu iterum ad Serenissimum Ducem perlato, ille rursus non sine magno pretiosissimi lapidis dis-

pendio,

pendio, utpote qui mollioris indolis, repetitas has brevi tempore infusiones, non citra substantiæ magnam jacturam ferebat, novam fieri infusionem, admodum clementer rursus jussit eademque nona die ingruente exhibita, mox erupit exoptatissimus sudor & per totam diem, una cum magno ægrotantis levamine, febrisque decremento continuavit. Cum autem postera decima luce reculæ ægrotantis rursus in paulo pejori, quamvis non cum illo octavæ lucis comparando, essent statu, consultum ego duxi & tertiam quoque infusionem à Serenissimo Duce humillime exorare, eademque clementissime concessa, & propinata; una cum sudore jugiter propulso, erupit brevi post purpura rubra, & cum hæc quoque per stadia sua decurrisset, bona matrona cum pristina valetudine rediit in gratiam. Denique haud ita diu post in simili fere casu ejusdem medicaminis vires iterum experiri mihi licuit, eventu tamen non ita felici, quamvis efficacia remedii egregie sese comprobaret. Decumbebat prope ipsas palatii Ducalis portas, ex febre catarrhali petechizante alia mulier consistentis ætatis, corporis similiter debilioris, & multis puerperiis fracti, atque ego tardius, & morbo jam per chirurgi militaris incongruam curam corrupto, advocatus, jam per aliquot dies absque omni impetranda valetudinis spe, ipsi medicinam afferre tentaveram. Quoniam vero maritus tum ob viciniam, tum ob artem quam callebat & fratrem aulico muneri præfectum; in aula Serenissimi Ducis AVGVSTI GVILIELMI esset notissimus & multi vices ipsius ob prolem numerosam dolerent, contingebat, ut de conclamato hujus mulieris statu aliquid Serenissimus Dominus noster similiter per-

D ciperet.

ciperet. Eo facto clementissimus Princeps misericordia ingenti statim tactus, quamvis in eo esset, ut hac urbe relicta, Guelpherbytum cum comitatu suo abiret, jussit extemplo, ut quoque tentarem, utrum per infusum lapidis Sui porcini clementissime rursus concessi, vita misellæ mulieris salvari forsitan posset. Paratum itaque hoc undecimo morbi die, tempore meridiano exhibui, eandemque vespera rursus accedens, sudore egregie madentem mulierem prima vice offendi, neque minus altero diluculo, una cum sudore propulsæ petechiæ pessimi tamen coloris conspectui sese obtulerunt, quibus tamen bonæ criseos auspiciis non obstantibus, decimo tertio die vitam cum morte commutavit, eundem morbum marito quoque per contagium relinquens, quo, & multis simul curis fractus, animam pariter Creatori postea reddidit. Ab eo tempore nullis amplius experimentis infusum lapidis huius subjeci, aut potius, si vel maxime voluissem, subjicere potui, interim tamen valde gaudeo, quod per ea, quæ Tibi Vir Experientissime nunc enarravi, tentamina certior abunde sim factus generosissimam esse & utilissimam hanc medicinam, quamvis communi efficacissimorum medicamentorum sorte quoque prematur, id est, ut clarius loquar; non semper, & ubique morbum ex toto vincere possit. Profato energia longissime superat neque virium respectu comparari potest hoc infusum cum illo quod a lapide quadrato Sinarum petendum esse nonnulli suadent, quicquid etiam in ejus laudem ex relationibus aliorum dixerit laudatissimus LOCHNERVS. Non inexpertus hæc loquor, talem enim lapidem, magno satis pretio a Patribus Jesuiticis redemptum, & ex asse descriptioni

ni LOCHNERIANÆ respondentem, Illustrissima quædam Persona dono beato Parenti meo olim dederat, & hinc occasionem nactus, variis experimentis eundem sollicita cura tentavi; in quibus tamen simili prorsus infelicitate, cum celeberrimo ipsius Descriptore semper sum usus, ut scilicet nunquam "illum successum "quem ægris, mihique inde promiseram, deprehen-"dere, aut, ut apertius dicam, subolfacere saltem potuerim, quamvis tam in infuso, quam in substantia fuerit exhibitus. Non diffiteor me in partu ex defectu dolorum difficili vel foetu mortuo pellendo eundem nunquam exhibuisse, imo vero cum facile judicarem, tale concrementum quod limæ, ob summam duritiem, ægerrime cedit, tam cito, quam pro ferendo in talibus casibus citissimo auxilio opus esset, in ventriculo solvi, & si quam habet vim medicamentosam in magis remotioribus partibus exserere minime posse, religioni mihi duxi, illud in auxilium advocare, præsertim cum ad manus mihi esset oppido certum & fere nunquam expectationem meam fallens remedium, quod ab eadem Societate, quæ lapidis quadrati Sinensis mercaturam instituit, si originem spectes, pariter proficiscitur. Facile autem Te divinare arbitror, me non de titigioso cortice Peruviano (quem non minus Patres S. J. in Europam magno suo lucro primum advexisse dicuntur) verum potius de illo lapide artificiali, quem cordialem de Goa vocant, nunc loqui, de quo itidem celeberrimus LOCHNERVS mentionem fecit, has tamen ipsius vires non præcise indigitando, ob quas tamen si solas possideret maximopere esset collaudandus & commendandus. Mihi certe tanto majori in pretio est hoc remedium, cum non solum bene multa prospera

ſpecimina de eo clariſſime viderim ſed illud quoque nullum in ſanguine æſtum excitet aut vitalem hunc liquorem una cum fœtu & poſt eundem propellat verum potius agat virtute magis ſpecifica, longe ſpectabiliori, cum non opus ſit majoribus doſibus, ſed grana decem vel ad ſummum duodecim pro uno prabio, rariſſime poſt bihorium aut trihorium repetendo, ſufficere ſemper poſſint. Non facile autem dixerim neque etiam operoſe & curioſe perſcrutabor, a quibus hujus medicaminis ingredientibus paſſim deſcriptis hæc partus molimina vel augendi vel denuo excitandi virtus dependeat; ſufficiat mihi quod multiplici experientia etiam hac ipſa die, qua hæc ſcribo inſtituta, cognitum habeam, quod illud compoſitum quod ex ea plurimarum rerum ſimplicium miſcela oritur, talem effectum feliciter edat in quo exhibendo utplurimum aqua confortativa Zwelfferi commodum utor, cum illa vires recreandi virtute haud parum quoque valeat. Hæc vero pace Tua, *Vir Experientiſſime*, poſt abſolutum de lapide porcino penſum, coronidis loco ſubnectere, & Tuæ experientiæ de meliori commendare volui; id à *Te* ſummo ſtudio denique flagitans ut neque hanc ſcriptiunculam ægre ferre neque unquam propenſam *Tuam* voluntatem & amicitiam eripere velis *Tuo* nomini ſemper

Dab. Brunſu. d xx Jan. An. MDCCXXXIV.

deditiſſimo,
R. A. Behrens, M. D.

(o)

Ad Ep. Pt. XXVIII.

